

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Caput XXXIX

Aspirationes ad Deum tan-
quam conservatorem

i. Quid mihi profuisset, o amantissime Deus, me a te creatum esse, si postea manus tuas, qua fecerunt me, subtraxisses à me? nonne rediissem in meum nihilum? siquidem meum esse adeo imbecille, et infirmum est, ut se solo subsistere nequeat, sed necessario exigat, ut eadem manus, qua ipsum plas-
maverunt, etiam continuo conservent; Duo, o amabilis Deus habeo, quod huc admirer: Primum est, nimia infirmitas mea; video enim, quod opera ab artificibus hujus mundi facta, postea sine ipsis subsistant, at ego, nisi actionem illam primam, qua me condidisti, indesinenter ^{reiteras} ~~reiteres~~, mox in prius nihilum meum recidam. O quanta mea imbecillitas! quanta fragilitas, quanta infirmitas! Alterum, quod admiror, est tua circa me vigilantia, et cura perpetua; animadverto enim, quod non sit momentum, quo in me non occuperis,

E.

mihique intendas, atque veluti in manibus tuis portes,
 ut esse, quod mihi dedisti, non amittam, sed perpetuo
 conservem. O mi Deus, quid est, quod toties oculos
 meos ad coelos attollam, ac si ibi dumtaxat esses, cum
 tamen te mihi presentissimum jugiter habeam, atque
 in fundo anima mee tanquam in templo tuo te
 amplexari valeam. O Deus me totum tibi committo,
 omnem fiduciam meam in te colloco, tu tantum ulnis
 pietatis ac bonitatis tuae jugiter sustenta me.

Sed cur dixi, o dilectissime Deus, quod esse meum
 semper conserves, cum tamen certum sit morte adve-
 niente corpus meum interiturum ac in pulverem redi-
 gendum esse; verum, o mi Deus, hic incomprehen-
 sibilem potentiam vel maxime manifestas; sicut enim ps. 138.

non est occultatum ullum os meum ante te, quod
fecisti in occulto utero matris mee, sic nec substan-
tia mea in inferioribus terrae sepulta erit in
oblivione tua; eam enim in pulvere et cinere per-
 petuo conservabis, ut ipsa in die resurrectionis de-
 nuo anima uniatur et ita cum eadem anima per-
 petua immortalitate fruatur; scio enim, quod
redemptor meus vivit, et in novissimo die de
terra surrecturus sum, et rursus circumdabor
pelle mea, et in carne mea videbo te Deum
salvatorem meum. O omnipotens sempiterna

Deus adoro, et admiror immensam potentiam tuam, quae substantiam corporis mei ab anima per mortem separandam nunquam est redactura in nihilum, sed perpetuò conservatura, ut in die novissimo illius particeps efficiatur pramii, cuius consors fuit laboris, ac boni operis. O mi Deus, da mihi gratiam, ut quamdiu hic fuero, tibi perpetuò adhaeream, atq; in hoc mortali corpore nunquam separer à te, quatenus cum eodem in aeternum fruam te.

3 Non tantum inesse natura sed etiam inesse gratia à te totus dependeo, o potentissime Deus; nisi enim gratiam, quam mihi misericorditer largiris, ut bonum operari possim, in me custodieris, frustra vigilat, qui custodit eam; O adorande Deus, te deprecor, ut læva tua amplexetur ^{me} ~~te~~. Læva tua, o mi Deus, est gratia praesentis vitae, hæc enim sustentatur caput, sive mens continens supremas animæ potentias, quæ per hæc gratiam illuminantur, et inflammantur. Unde anima, cuius capiti lævam tuam supponis, abundat mentis illustrationibus, et gravida est teneris erga te amoris affectibus; Dextera tua verò est gratia vitæ futura ac tota ejus beatitudo; delectationes enim in dextera tua usq; in finem. Hæc igitur geminâ gratiâ me bea-

7 Semper sit sub
capite meo, et
dextera tua

clementissime Deus, ut videlicet lava tua hic me perpetuo confortet, sustentet, protegat, et dirigat, tum dextera tua in caelo me amplexetur, ac mihi tribuat coronam gloriae, quam promisisti diligentibus te.

Caput 40^{mum}

Aspirationes ad Deum tanquam gubernatorem.

O Deus meus, quantam afficior consolatione, dum confidero, te meum esse rectorem et gubernatorem, quidem enim obsecro, mihi desse poterit sub tua gubernatione quae plena est sapientia, pietate, clementia, providentia et dilectione, adeo ut fieri nequeat, quin omnia mihi prospere succedant, si me totum tibi tradam, et committam, sicut enim filio, qui gubernationi sui patris aliquin sapientissimi ac potentissimi se totum committit, ad vota non possunt non fluere universa, ita pariter necesse est, ut ad bonum meum omnia tua prosus cedant, si me totum tuae voluntati ac directioni relinquam; neque enim tam duri cordis esse potes mi amantissime Deus, ut dum sapientissime regis, et disponis omnia, mei tamen in te unice confidentis veluti obliviscaris, atque multa mala mihi evenire permittas; Potius credam, te non esse